



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Charitas quam debeat virginibus fore familiaris. Can. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Virginum
angelorum-
que vita in
quo diffi-
cultatis
prælia quâ
sint durissi-
ma.

sancta virginitas, vt & ego tui non taceam præconia, tui possessorem efficit felicem ac beatum, ipsiq; cœlestibus spiritibus parem, imò & longè admirabilem. Quis enim ignorat multo clariorem esse victoriam virginum, quàm angelorum. Nam angeli sine carne viuunt, virgines autem in carne triumphant. Differuntq; in hoc hominis virginitas & angeli: quod illa est fortior, hæc autem felicior. Fortior dixi, ob certaminis quotidiani maximam difficultatem, quæ virginibus sacco ad huc mortalitatis indutis, necessario, nisi hostibus cedere velint, incumbit. Hinc est, quod inter omnia Christianorum certamina, durissima sint prælia castitatis. Maius proinde miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxurię quam vel immundos spiritus de alienis expellere corporibus.

Charitas quam debeat virginibus fore familiaris.

CANON VI.

CVM in superioribus iã plurima de virginitatis præconio dicta sint, hic breuitatis gratia, supersedeo plura enarrare: solummodo hoc vnum te admonere volens, vt charitatem, qua iam cor tuum accensum scio, nunquam vilo sensibili amore extingui permittas: alioquin citius me à te, quàm vel ipsa putes, expelles: nec poteris quocunque tempore hac veste spoliata fueris, me sponsum tuum habere: Quia ipsa charitas fidelium mihi vnic mentes, estq; gubernaculum quoddam omnium amicorum meorum, per quod in hoc pelago nauigantes à via veritatis & semita mandatorum meorum non deuiant, sed recto itinere ad ipsum perfectionis portum perducuntur.

Antiquus quoque hostis (quod pro tui consolatione ac confortatione dixerim) castitatem, si sine charitate fuerit, in amicis meis non timet, quia ipse carne non præmitur, vt luxuria dissoluatur: nec abstinentiam timet, quia cibo non vitur: sed valde in electis meis veram charitatem, humilemq; amorem quem vicissim sibi impendunt reformidat, ipsoq; iaculo ex liuore inuidiæ vehementer confoditur, quia ipse conspiciit illos tenere in terra, quod ipse tenere nolens, amittit in cœlo. Ipsa propterea est arbor, à qua non defluit nec flos boni desiderij, nec folium boni verbi, nec fructus boni operis, quum ipsius proprium sit nutrire concordiam, seruare composita: coniungere dissociata, dirigere praua, & cæteras virtutes perfectionis suæ munimine solidare. Si quis in eius radicem se inserit, nec à veritate defluit: nec à fructu inanescit. Huic radici quàm verè gloriosa virgo ac martyr Anatholia inserta fuerit, vitæ gesta Sanctæ Victoriæ abundè testantur. Quæ cum omnia sua bona mei amore succensa, distraxisset, hunc in modum fatetur sibi à me factam visionem. Dic, inquit, qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi ipsa die iam secuta facta, video iuuenè auricomum, diadematum, splendidum, & solum purpureum totum in vestibus atque gemmatum. Qui aspiciens faciem meam lætus, ad me hunc modum dat: O virginitas, quæ morti non iunges is, vt à morte perpetua libereris. O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum coniunges is, sed semper in lumine gloriaris: non morti, sed vitæ coniunges is sempiternæ. Et cætera plurima quæ ibi à sancto Angelo meo enarrantur. Vides ergo quàm necessaria sit virginibus charitas, quæ sola inter filios Dei, & filios diaboli discernit. Hæc est specialis victus piorum atque sanctorum omnium,

Charitatis
actus qui
sui.

Charitas vt
sit arbor
quædam.

S. Anatho-
lie castitas
per angelū
probetur.

Charitas
quam sit
virginibus
necessaria.

omnium, quàm cæteræ virtutes bonis & malis possint esse communes. Nullus unquam virginitatem suam mihi integram custodiuit, qui non hac charitatis flamma fuit succensus. Huic itidem radici omnes Patres ac Sancti, tam veteris, quàm noui instrumenti, qui virginitatis integritatem seruarunt, fuerunt inserti. Vti in primis gloriosa genitrix mea semper virgo Maria, sanctus Ioannes Baptista præcurfor meus, sanctus Ioannes Euangelista, & alij plurimi vtriusque sexus, qui omnes meo exemplo in suis corporibus virginitatem dedicârunt, atq; consecrârunt: taceo magnum meum illum Prophetam Heliam, cuius lingua, ipsius cœli facta est clavis: qui & ipse fuit virgo, & ob id igneo est raptus curru in cœ-
lum. s. Reg. 17.

Vti inquam omnes, quanto amore tam corporum, quàm mentium amplexa-
rer munditiam, lympidissimè ac lucidissimè contemplati sunt huiusq; amore
carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixerunt, ac firmissimè innocen-
tiam virginali seruare in animo statuerunt. 4. R. c. s.
Galat.

Virginitas amissa vt sese castitate solari debeat.

CANON VII.

AT quibus hæc sublimis gratia denegata fuis, vt scilicet me virginum caput
virgines sequerentur, aut eam propter suam propriam culpam neglexerit
aut perdiderunt, exēplo sanctæ Mariæ Magdalenz vnice dilectricis meæ, in
perpetua castitate mihi seruire sese astrinxerūt. Nā & Apostoli mei & per plures alij
magna sanctitate præditi, in exordio nascens Ecclesiæ, ardore diuinæ charitatis
meæ inflammati, mutauerunt nomina vxorum suarum in nomina sororum, ob
reuerentiam castitatis, vt eo liberius expeditiusq; mihi vacare possent. Castitas
enim (vt nec hoc taceam) virginitatis summa amica ac indiuidua quasi est comes,
ita, vt qui eam amiserit, hanc liberè amplexari valeat, præopportuna quoque alia-
rum virtutum auxiliatrix, cuius laudabilis est operatio, rationis in libidinem,
atque in alios non erectos animi appetitus firma & moderata dominatio. Castitas vt
sit comes
virginitatis.
Castitas
quid sit.

Nec est quod quis sibi de virginitate, neglecta castitate, blandiatur, quando
certo constet nullam sine castitate virginitatem esse. Ergo quicumq; virgo es, sum-
mo amore castitatē prosequere, & caue, ne in turpium delectationum cōsensum ex
ea diabolica suggestione labaris: alioquin magna hac gloria qua te dignatus sum,
temetipsum priuabis, nec virginum poteris expectare aureolā, sed timere habebis
fornicatorum pœnam, nisi resipueris egerisq; pœnitentiam, vt per Prophetā meū
Hieremiam animæ præuaricatrici obijcitur: Tu autem fornicata es cum amatoribus
multis. Quod & spiritualiter, per fœdarum cogitationum cōsensum, intelligi
valet: Sed dixi castitatem virginitati esse amicam: imò dico, in multis magnam
cum virginitate habere similitudinem: quandoquidem ipsa castitas sui posses-
sorem, vt & virginitas, mundum seruat, munditiamq; sectatur & amat.
Hinc est quod castitatis amatores ab omni immunditia, ab omni spurcitia &
fœditate carnalium voluptatum vt à veneno pestifero sibi cauebunt, & ne
quando huius pestis colluione fœdentur, summoperè, aduigilabunt. Quia de-
testanda & abominanda hæc voluptas, non solum humanam naturam corrup-
pit & eneruat, suoque robore destituit, sed quod omnibus modis dolendum
sanguineisq; deplorandum est lachrymis, ipsas humanas immutat, effœminatq;
mentes. Virginitas
sine castita-
te quantilli
facienda.
Hic. s.
Castitas
quanta sit
laude extol-
lenda.
Voluptatis
carnis male
quæ.

ZZZ * mentes,